



# PROELIUM LEWENSIS

*Posted on February 1, 2024 by Anonymous*



Factum est hoc proelium in die XIII mensis Maii anno MCCLXIII.

[MS. Harley 978. fol. 128, r].

---

Calamus velociter scribe sic scribentis,  
Lingua laudabiliter te benedicentis,  
Dei patris dextera, domine virtutum,  
Qui das tuis prospera quando vis ad nutum;  
In te jam confidere discant universi,  
Quos volebant perdere qui nunc sunt dispersi.  
Quorum caput capitur, membra captivantur;  
Gens elata labitur, fideles lætantur.  
Jam respirat Anglia, sperans libertatem;  
Cui Dei gratia det prosperitatem!  
Comparati canibus Angli viluerunt,  
Sed nunc victis hostibus caput extulerunt.  
Gratiæ millesimo ducentesimoque  
Anno sexagesimo quarto, quarta quoque  
Feria Pancratii post sollempnitatem,  
Valde gravis prelii tulit tempestatem  
Anglorum turbatio, castroque Lewensi;  
Nam furori ratio, vita cessit ensi.  
Pridie qui Maii Idus confluxerunt,  
Horrendi discidii bellum commiserunt;  
Quod fuit Sussexiæ factum comitatu,  
Fuit et Cicestriæ in episcopatu.  
Gladius invaluit, multi ceciderunt,  
Veritas prævaluit, falsique fugerunt.  
Nam perjuris restitit dominus virtutum,  
Atque puris præstitit veritatis scutum.  
Hos vastavit gladius foris, intus pavor;  
Confortavit plenius istos cœli favor.

Victoris sollempnia sanctæque coronæ  
Reddunt testimonia super hoc agone;  
Cum dictos ecclesia sanctos honoravit,  
Milites victoria veros coronavit.  
Dei sapientia, regens totum mundum,  
Fecit mirabilia bellumque jocundum;  
Fortes fecit fugere, virosque virtutis  
In claustro se claudere, locis quoque tutis.  
Non armis sed gratia christianitatis,  
Id est in ecclesia, excommunicatis  
Unicum refugium restabat, relictis  
Equis, hoc consilium occurrebat victis.  
Et quam non timuerant prius prophanare,  
Quam more debuerant matris honorare,  
Ad ipsam refugiunt, licet minus digni,  
Amplexus se muniunt salutaris ligni.  
Quos matrem contempnere prospera fecerunt,  
Vulnera cognoscere matrem compulerunt.  
Apud Northamptoniam dolo prosperati,  
Spreverunt ecclesiam infideles nati;  
Sanctæ matris viscera ferro turbaverunt,  
Prosperis non prospera bella meruerunt.  
Mater tunc injuriam tulit patienter,  
Quasi per incuriam, sed nec affluenter:  
Punit hanc et alias quas post addiderunt,  
Nam multas ecclesias insani læserunt;  
Namque monasterium, quod Bellum vocatur,  
Turba sævientium, quæ nunc conturbatur,  
Inmisericorditer bonis spoliavit,  
Atque sibi taliter bellum præparavit.  
Monachi Cystercii de Ponte-Roberti  
A furore gladii non fuissent certi,  
Si quingentas principi marcas non dedissent.  
Quas Edwardus accipi jussit, vel perissent.  
Hiis atque similibus factis meruerunt  
Quod cesserunt hostibus et succubuerunt.

Benedicat dominus S. de Monte-Forti!  
Suis nichilominus natis et cohorti!  
Qui se magnanimiter exponentes morti,  
Pugnauerunt fortiter, condolentes sorti  
Anglicorum flebili, qui subpeditati  
Modo vix narrabili, peneque privati  
Cunctis libertatibus, immo sua vita,  
Sub duris principibus langüerunt ita,  
Ut Israelitica plebs sub Pharaone,  
Gemens sub tyrannica devastatione.  
Sed hanc videns populi Deus agoniam,  
Dat in fine seculi novum Mathathiam,  
Et cum suis filiis zelans zelum legis,  
Nec cedit injuriis nec furori regis.  
Seductorem nominant .S. atque fallacem;  
Facta sed examinant probantque veracem.  
Dolosi deficiunt in necessitate;  
Qui mortem non fugiunt, sunt in veritate.  
Sed nunc dicit æmulus, et insidiator,  
Cujus nequam oculus pacis perturbator:  
"Si laudas constantiam, si fidelitatem,  
Quæ mortis instantiam vel pœnalitatem  
Non fugit, æqualiter dicentur constantes  
Qui concurrunt pariter invicem pugnantes,  
Pariter discrimini semet exponentes,  
Duroque cognomini se subjicientes."  
Sed in nostro prelio cui nunc instamus,  
Qualis sit discretio rei videamus.  
Comes paucos habuit armorum expertos  
Pars regis intumuit, bellatores certos  
Et majores Angliæ habens congregatos,  
Floremque militiæ regni nominatos;  
Qui Londoniensibus armis comparati,  
Essent multis milibus trecenti prælati;  
Unde contemptibiles illis extiterunt,  
Et abhominabiles expertis fuerunt.

Comitis militia plurima tenella;  
In armis novitia, parum novit bella.  
Nunc accinctus gladio tener adolescens  
Mane stat in prelio armis assuescens;  
Quid mirum si timeat tyro tam novellus,  
Et si lupum caveat impotens agnellus?  
Sic ergo militia sunt inferiores  
Qui pugnant pro Anglia, sunt et pauciores  
Multo viris fortibus, de sua virtute  
Satis glorientibus, ut putarent tute,  
Et sine periculo, velut absorbere  
Quotquot adminiculo Comiti fuere.  
Nam et quos adduxerat Comes ad certamen,  
De quibus speraverat non parvum juvamen,  
Plurimi perterriti mox se subtraxerunt,  
Et velut attoniti fugæ se dederunt;  
Et de tribus partibus tertia recessit.  
Comes cum fidelibus paucis nunquam cessit.  
Gedeonis prelium nostro comparemus,  
In quibus fidelium vincere videmus  
Paucos multos numero fidem non habentes,  
Similes Lucifero de se confidentes.  
"Si darem victoriam," dicit Deus, "multis,  
Stulti michi gloriam non darent, sed stultis."  
Sic si Deus fortibus vincere dedisset,  
Vulgus laudem talibus non Deo dedisset.  
Ex hiis potest elici quod non timuerunt  
Deum viri bellici, unde nil fecerunt  
Quod suam constantiam vel fidelitatem  
Probet, sed superbiam et crudelitatem;  
Volentes confundere partem quam spreverunt,  
Exeuntes temere cito corruerunt.  
Cordis exaltatio præparat ruinam,  
Et humiliatio meretur divinam  
Dari sibi gratiam; nam qui non confidit  
De Deo, superbiam Deus hanc elidit.

Aman introducimus atque Mardocheum;  
Hunc superbum legimus, hunc verum Judæum;  
Lignum quod paraverat Aman Mardocheo,  
Mane miser tollerat suspensus in eo.  
Reginæ convivium Aman excoecavit,  
Quod ut privilegium magnum reputavit;  
Sed spes vana vertitur in confusionem,  
Cum post mensam trahitur ad suspensionem.  
Sic extrema gaudii luctus occupavit,  
Cum finem convivii morti sociavit.  
Longe dissimiliter accidit Judæo,  
Honorat sublimiter quem rex, dante Deo.  
Goliath prosternitur projectu lapilli;  
Quem Deus persequitur, nichil prodest illi.  
Ad prædictas varias adde rationes,  
Quod tot fornicarias fætidæ lenones  
Ad se convocaverant, usque septingentas,  
Quas scire debuerant esse fraudulentas,  
Sathanæ discipulas ad decipiendas  
Animas, et faculas ad has incendendas,  
Dolosas novaculas ad crines Samsonis  
Radendos, et maculas turpis actionis  
Inferentes miseris qui non sunt cordati,  
Nec divini muneris gratia firmati,  
Carnis desiderii animales dati,  
Cujus immunditiis, brutis comparati,  
Esse ne victoria digni debuerunt,  
Qui carnis luxuria fœda sorduerunt:  
Factis lupanaribus robur minuerunt,  
Unde militaribus indigni fuerunt.  
Accingitur gladio super femur miles,  
Absit dissolutio, absint actus viles;  
Corpus novi militis solet balneari,  
Ut a factis vetitis discat emundari.  
Qui de novo duxerant uxores legales,  
Domini non fuerant apti bello tales,

Gedeonis prelio teste, multo minus  
Quos luxus incendio læserat caminus.  
Igitur adulteros cur Deus juvaret,  
Et non magis pueros mundos roboraret?  
Mudentur qui cupiunt vincere pugnando;  
Qui culpas subjiciunt sunt in triumphando;  
Primo vincant vitia, qui volunt victores  
Esse cum justitia super peccatores.  
Si justus ab impio quandoque videtur  
Victus, e contrario victor reputetur;  
Nam nec justus poterit vinci, nec iniquus  
Vincere dum fuerit juris inimicus.  
Æquitatem comitis Symonis audite:  
Cum pars regis capitis ipsius et vitæ  
Solam pœnam quæreret, nec redemptionem  
Capitis admitteret, sed abscisionem,  
Quo confuso plurima plebs confunderetur,  
Et pars regni maxima periclitaretur,  
Ruina gravissima statim sequeretur;  
Quæ mora longissima non repareretur!  
.S. divina gratia præsul Cycestrensis,  
Alta dans suspiria pro malis immensis  
Jam tunc imminentibus, sine fictione,  
Persüasis partibus de formatione  
Pacis, hoc a Comite responsum audivit:  
“Optimos eligite, quorum fides vivit,  
Qui decreta legerint, vel theologiam  
Decenter docuerint sacramque sophiam,  
Et qui sciant regere fidem Christianam;  
Quicquidque consulere per doctrinam sanam  
Quicquidve discernere tales non timebunt,  
Quod dicent, suscipere promptos nos habebunt;  
Ita quod perjurii notam nesciamus,  
Sed ut Dei filii fidem teneamus.”  
Hinc possunt perpendere facile jurantes,  
Et quod jurant spernere parum dubitantes,

Quamvis jurent licita, cito recedentes,  
Deoque pollicita sana non reddentes,  
Quanta cura debeant suum juramentum  
Servare, cum videant virum nec tormentum  
Neque mortem fugere propter jusjurandum,  
Præstitum non temere, sed ad reformandum  
Statum qui deciderat Anglicanæ gentis,  
Quem fraus violaverat hostis invidentis.  
En Symon obediens spernit dampna rerum,  
Pœnis se subjiciens, ne dimittat verum,  
Cunctis palam prædicans factis plus quam dictis,  
Quod non est communicans veritas cum fictis.  
Væ perjuris miseris, qui non timent Deum!  
Spe terreni muneris abnegantes eum,  
Vel timore carceris, sive pœnæ levis;  
Novus dux itineris docet ferre quævis  
Quæ mundus intulerit propter veritatem,  
Quæ perfectam poterit dare libertatem.  
Nam Comes præstiterat prius juramentum,  
Quod quicquid providerat zelus sapientum  
Ad honoris regii reformationem,  
Et erroris devii declinationem,  
Partibus Oxoniæ, firmiter servaret,  
Hujusque sententiæ legem non mutaret;  
Sciens tam canonicas constitutiones  
Atque tam catholicas ordinationes  
Ad regni pacificam conservationem,  
Propter quas non modicam persecutionem  
Prius sustinuerat, non esse spernandas;  
Et quia juraverat fortiter tenendas,  
Nisi perfectissimi fidei doctores  
Dicerent, quod eximi possent juratores,  
Qui tale præstiterant prius jusjurandum,  
Et id quod juraverant non esse curandum.  
Quod cum dictus pontifex regi recitaret,  
Atque fraudis artifex forsitan astaret,



Vox in altum tollitur turbæ tumidorum,  
"En jam miles subitur dictis clericorum!  
Viluit militia clericis subjecta!"  
Sic est sapientia Comitis despecta;  
Edwardusque dicitur ita respondisse,  
"Pax illis præcluditur, nisi laqueis se  
Collis omnes alligent, et ad suspendendum  
Semet nobis obligent, vel ad detrahendum."  
Quid mirum si Comitis cor tunc moveretur,  
Cum non nisi stipitis pœna pareretur?  
Optulit quod debuit, sed non est auditus;  
Rex mensuram respuit, salutis oblitus.  
Sed ut rei docuit crastinus eventus,  
Modus quem tunc noluit post non est inventus.  
Comitis devotio sero deridetur,  
Cujus cras congressio victrix sentietur.  
Lapis hic ab hostibus diu reprobatus,  
Post est parietibus duobus aptatus.  
Angliæ divisio desolationis  
Fuit in confinio, sed divisionis  
Affuit præsidio lapis angularis,  
Symonis religio sane singularis.  
Fides et fidelitas Symonis solius  
Fit pacis integritas Angliæ totius;  
Rebelles humiliat, levat desperatos,  
Regnum reconsilians, reprimens elatos.  
Quos quo modo reprimat? certe non laudando,  
Sed rubrum jus exprimit dure conflagando;  
Ipsam nam conflagrare veritas coegit,  
Vel verum deserere, sed prudens elegit  
Magis dare dexteram suam veritati,  
Viamque per asperam junctam probitati,  
Per grave compendium tumidis ingratum,  
Optinere bravium violentis datum,  
Quam per subterfugium Deo displicere,  
Pravorumque studium fuga promovere.

Nam quidam studuerant Anglorum delere  
Nomen, quos jam cæperant exosos habere,  
Contra quos opposuit Deus medicinam,  
Ipsorum cum noluit subitam ruinam.  
Hinc alienigenas discant advocare  
Angli, si per advenas volunt exulare.  
Nam qui suam gloriam volunt ampliare,  
Suamque memoriam vellent semper stare,  
Suæ gentis plurimos sibi sociari,  
Et mox inter maximos student collocare;  
Itaque confusio crescit incolarum,  
Crescit indignatio, crescit cor amarum,  
Cum se premi sentiunt regni principales  
Ab hiis qui se faciunt sibi coæquales,  
Quæ sua debuerant esse subtrahentes,  
Quibus consüeverant crescere, crescentes.  
Eschaetis et gardiis suos honorare  
Debet rex, qui variis modis se juvare  
Possunt, qui quo viribus sunt valentiores,  
Eo cunctis casibus sunt securiores.  
Sed qui nil attulerant, si suis ditantur,  
Qui nullius fuerant, si magnificentur,  
Crescere cum ceperint, semper scandunt tales  
Donec supplantaverint viros naturales;  
Principis avertere cor a suis student,  
Ut quos volunt cadere gloria denudent.  
Et quis posset talia ferre patienter?  
Ergo discat Anglia cavere prudenter,  
Ne talis perplexitas amplius contingat,  
Ne talis adversitas Anglicos inpingat.  
Hüic malo studuit comes obviare,  
Quod nimis invaluit quasi magnum mare,  
Quod parvo conamine nequibat siccari,  
Sed magno juvamine Dei transvadari.  
Veniant extranei cito recessuri,  
Quasi momentanei, sed non permansuri.

Una juvat aliam manuum duarum,  
Neutra tollens gratiam verius earum;  
Juvet et non noceat locum retinendo.  
Quæque suum valeat ita veniendo;  
Gallicus ad Anglicum benefaciendo.  
Et non per sophisticum vultum seducendo,  
Nec alter alterius bona subtrahendo;  
Immo suum potius onus sustinendo.  
Commodum si proprium comitem movisset,  
Nec haberet alium zelum, nec quæsisset  
Toto suo studio reformationi  
Regni, sed intentio dominationi,  
Solam suam quæreret, et promotionem  
Suorum proponerat, ad ditationem  
Filiorum tenderet, et communitatis  
Salutem negligeret, ac duplicitatis  
Pallio supponeret virus falsitatis;  
Sic fidem relinqueret Christianitatis,  
Et horrendæ subderet se pœnalitatis  
Legi, nec effugeret pondus tempestatis.  
Et quis potest credere quod se morti daret,  
Suos vellet perdere, ut sic exaltaret?  
Callide si palliant honorem venantes;  
Et quod mortem fugiant semper meditantes;  
Nulli magis diligunt vitam temporalem,  
Nulli magis eligunt statum non mortalem.  
Honores qui sitiunt simulate tendunt,  
Cautè sibi faciunt nomen quod intendunt;  
Non sic venerabilis .S. de Monte-forti,  
Qui se Christo similis dat pro multis morti;  
Ysaac non moritur cum sit promptus mori;  
Vervex morti traditur, Ysaac honori.  
Nec fraus nec fallacia Comitem promovit,  
Sed divina gratia, quæ quos juvet novit.  
Horam si vocaveris locum que conflictus,  
Invenire poteris quod ut esset victus

Potius quam vinceret illi conferebat;  
Sed ut non succumberet Deus providebat.  
Non de nocte subito surripit latenter;  
Immo die redito pugnat evidenter.  
Sic et locus hostibus fuit oportunus,  
Ut hinc constet omnibus esse Dei munus,  
Quod cessit victoria de se confidenti.  
Hinc discat militia, quæ torneamenti  
Laudat exercitium, ut sic expedita  
Reddatur ad prælium, qualiter contrita  
Fuit hic pars fortium exercitatorum,  
Armis imbecillium et inexpertorum:  
Ut confundet fortia, promovet infirmos,  
Confortat debilia Deus, sternit firmos.  
Sic nemo confidere de se jam præsumat;  
Sed in Deum ponere spem si sciat, sumat  
Arma cum constantia, nichil dubitando,  
Cum sit pro justitia Deus adjuvando.  
Sicque Deum decuit Comitem juvare,  
Sine quo non potuit hostem superare.  
Cujus hostem dixerim? Comitibus solius?  
Vel Anglorum sciverim regnique totius?  
Forsan et ecclesiæ, igitur et Dei?  
Quod si sic, quid gratiæ; conveniret ei?  
Gratiam demeruit in se confidendo,  
Nec juvari debuit Deum non timendo.  
Cedit ergo gloria propriæ virtutis;  
Et sic in memoria, qui dat destitutis  
Viribus auxilium, paucis contra multos,  
Virtute fidelium conterendo stultos,  
Benedictus dominus Deus ultionum!  
Qui in cœlis eminus sedet super thronum,  
Et virtute propria colla superbiorum  
Calcat, subdens grandia pedibus minorum.  
Duos reges subdidit et hæredes regum,  
Quos captivos reddidit transgressores legum,

Pompamque militiæ cum magna sequela  
Dedit ignominia; nam barones tela  
Quæ zelo justitiæ pro regno sumpserunt,  
Filiis superbiæ communicaverunt,  
Usque dum victoria de cœlo dabatur,  
Cum ingenti gloria quæ non sperabatur,  
Arcus namque fortium tunc est superatus,  
Coetus inbecillium robore firmatus;  
Et de cœlo diximus, ne quis gloriatur;  
Sed Christo quem credimus omnis honor detur!  
Christus enim imperat, vincit, regnat idem;  
Christus suos liberat, quibus dedit fidem.  
Ne victorum animus manus osculetur  
Suas, Deum petimus quod illis præstetur;  
Et quod Paulus suggerit ab ipsis servetur,  
"Qui lætatus fuerit, in Deo lætetur."  
Si quis nostrum gaudeat vane gloriatus,  
Dominus indulgeat, et non sit iratus!  
Et cautos efficiat nostros in futurum;  
Ne factum deficiat, faciant se murum!  
Quod cæpit perficiat vis omnipotentis,  
Regnumque reficiat Anglicanæ gentis!  
Ut sit sibi gloria, suis pax electis,  
Donec sint in patria se duce provectis.  
Hæc Angli de prælio legite Lewensi,  
Cujus patrocínio vivitis defensi;  
Quia si victoria jam victis cessisset,  
Anglorum memoria victa viluisset.  
Cui comparabitur nobilis Edwardus?  
Forte nominabitur recte leopardus.  
Si nomen dividimus, leo fit et pardus:  
Leo, quia vidimus quod non fuit tardus  
Aggredi fortissima, nullius occursum  
Timens, audacissima virtute discursum  
Inter castra faciens, et velut ad votum  
Ubi et proficiens, ac si mundum totum

Alexandro similis cito subjugaret  
Si fortunæ mobilis rota semper staret;  
In qua summus protinus sciat se casurum,  
Qui regnat ut dominus parum regnaturum.  
Quod Edwardo nobili liquet accidisse,  
Quem gradu non stabili constat cecidisse.  
Leo per superbiam, per ferocitatem;  
Est per inconstantiam et varietatem  
Pardus, verbum varians et promissionem,  
Per placentem pallians se locutionem.  
Cum in arcto fuerit quicquid vis promittit;  
Sed mox ut evaserit, promissum dimittit.  
Testis sit Glovernia, ubi quod juravit  
Liber ab angustia statim revocavit.  
Dolum seu fallaciam quibus expeditur  
Nominat prudentiam; via qua venitur  
Quo vult quamvis devia recta reputatur;  
Nefas det placentia, fasque nominatur;  
Quicquid libet licitum dicit, et a lege  
Se putat explicitum, quasi major rege.  
Nam rex omnis regitur legibus quas legit;  
Rex Saül repellitur, quia leges fregit;  
Et punitus legitur David mox ut egit  
Contra legem; igitur hinc sciat qui legit,  
Quod non potest regere qui non servat legem;  
Nec hunc debent facere ad quos spectat regem.  
O Edwarde! fieri vis rex, sine lege;  
Vere forent miseri recti tali rege!  
Nam quid lege rectius qua cuncta reguntur,  
Et quid jure verius quo res discernuntur?  
Si regnum desideras, leges venerare;  
Vias dabit asperas leges impugnare,  
Asperas et invias quæ te non perducent;  
Leges si custodias ut lucerna lucent.  
Ergo dolum caveas et abomineris;  
Veritati studeas, falsum detesteris.

Quamvis dolus floreat, fructus nequit ferre;  
Hoc te psalmus doceat; ad fideles terræ  
Dicit Deus, "Oculi mei sunt, sedere  
Quos in fine seculi mecum volo vere."  
Dolus Northamptoniæ vide quid nunc valet;  
Nec fervor fallaciæ velut ignis calet.  
Si dolum volueris igni comparare,  
Paleas studueris igni tali dare,  
Quæ mox, ut exarserint, desistunt ardere,  
Et cum vix inceperint terminum tenere.  
Ita transit vanitas non habens radices;  
Radicata veritas non mutat per vices.  
Ergo tibi libeat id solum quod licet,  
Et non tibi placeat quod vir duplex dicet.  
Princeps quæ sunt principe digna cogitabit:  
Ergo legem suscipe, quæ te dignum dabit  
Multorum regimine, dignum principatu,  
Multorum juvamine, multo comitatu.  
Et quare non diligis quorum rex vis esse?  
Prodesse non eligis, sed tantum præesse.  
Qui nullius gloriam nisi suam quærit,  
Ejus per superbiam quicquid regit, perit.  
Ita totum periit nuper quod regebas;  
Gloria præteriit quam solam quærebas;  
En radicem tangimus perturbationis  
Regni de quo scribimus, et dissentionis  
Partium quæ prælium dictum commiserunt.  
Ad diversa studium suum converterunt.  
Rex cum suis voluit ita liber esse;  
Et sic esse debuit, fuitque necesse  
Aut esse desineret rex, privatus jure  
Regis, nisi faceret quicquid vellet; curæ  
Non esse magnatibus regni, quos præferret  
Suis comitatibus, vel quibus conferret  
Castrorum custodiam, vel quem exhibere  
Populo justitiam vellet, et habere

Regni cancellarium thesaurariumque.  
Suum ad arbitrium voluit quemcumque,  
Et consiliarios de quacumque gente,  
Et ministros varios se præcipiente,  
Non intromittentibus se de factis regis  
Angliæ baronibus, vim habente legis  
Principis imperio, et quod imperaret  
Suomet arbitrio singulos ligaret.  
Nam et comes quilibet sic est compos sui,  
Dans suorum quidlibet quantum vult et cui  
Castra, terras, redditus, cui vult committit,  
Et quamvis sit subditus, rex totum permittit.  
Quod si bene fecerit, prodest facienti;  
Si non, ipse viderit, sibimet nocenti  
Rex non adversabitur. Cur conditionis  
Pejoris efficitur princeps, si baronis,  
Militis, et liberi res ita tractantur?  
Quare regem fieri servum machinantur,  
Qui suam minuere volunt potestatem,  
Principis adimere suam dignitatem,  
Volunt in custodiam et subjectionem  
Regiam potentiam per seditionem  
Captivam retrudere, et exhæredare  
Regem, ne tam ubere valeat regnare  
Sicut reges hactenus qui se præcesserunt,  
Qui suis nullatenus subjecti fuerunt,  
Sed suas ad libitum res distribuerunt,  
Et ad suum placitum sua contulerunt.  
Hæc est regis ratio, quæ vera videtur,  
Et hæc allegatio jus regni tuetur.  
Sed nunc ad oppositum calamus vertatur:—  
Baronum propositum dictis subjungatur;  
Et auditis partibus dicta conferantur,  
Atque certis finibus collata claudantur,  
Ut quæ pars sit verior valeat liquere.  
Veriori promor populus parere.



Baronum pars igitur jam pro se loquatur,  
Et quo zelo ducitur rite prosequatur.  
Quæ pars in principio palam protestatur,  
Quod honori regio nichil machinatur;  
Vel quærit contrarium, immo reformare  
Studet statum regium et magnificare;  
Sicut si ab hostibus regnum vastaretur,  
Non sine baronibus tune reformaretur,  
Quibus hoc competeret atque conveniret;  
Et qui tunc se fingeret, ipsum lex puniret  
Ut reum perjurii, regis proditorem,  
Qui quicquid auxilii regis ad honorem  
Potest, debet domino cum periclitatur,  
Cum velut in termino regnum deformatur.  
Regis adversarii sunt hostes bellantes,  
Et consilarii regi adulantes,  
Qui verbis fallacibus principem seducunt,  
Linguisque duplicibus in errorem ducunt:  
Hii sunt adversarii perversis pejores;  
Hii se bonos faciunt cum sint seductores,  
Et honoris proprii sunt procuratores;  
Incautos decipiunt, quos securiores  
Reddunt per placentia, unde non caventur,  
Sed velut utilia dicentes censentur.  
Hii possunt decipere plusquam manifesti,  
Qui se sciunt fingere velut non infesti.  
Quid si tales miseri, talesque mendaces,  
Adhærerent lateri principis, capaces  
Totius malitiæ, fraudis, falsitatis,  
Stimulis invidiæ puncti, pravitatis  
Facinus exquirerent, per quod regni jura  
Ad suas inflecterent pompas, quæque dura  
Argumenta fingerent, quæ communitatem  
Paulatim confunderent, universitatem  
Populi contererent et depauperarent,  
Regnumque subverterent et infatuarent,

Quod nullus justitiam posset optinere,  
Nisi qui superbiam talium fovere  
Vellet, per pecuniam largiter collatam;  
Quis tantam injuriam sustineret ratam?  
Et si tales studiis suis immutarent  
Regnum, ut injuriis jura supplantarent;  
Calcatis indigenis advenas vocarent;  
Et alienigenis regnum subjugarent:  
Magnates et nobiles terre non curarent,  
Atque contemptibiles in summo locarent;  
Et magnos dejicerent et humiliarent;  
Ordinem perverterent et præposterarent;  
Optima relinquerent, pessimis instarent;  
Nonne qui sic facerent regnum devastarent?  
Quamvis armis bellicis foris non pugnarent,  
Tamen diabolicis armis dimicarent,  
Et regni flebiliter statum violarent;  
Quamvis dissimiliter, non minus dampnarent.  
Sive rex consentiens per seductionem,  
Talem non percipiens circumventionem,  
Approbaret talia regni destructiva;  
Seu rex ex malitia faceret nociva,  
Proponendo legibus suam potestatem,  
Abutendo viribus propter facultatem;  
Sive sic vel aliter regnum vastaretur,  
Aut regnum finaliter destitueretur,  
Tunc regni magnatibus cura deberetur,  
Ut cunctis erroribus terra purgaretur.  
Quibus si purgatio convenit errorum,  
Convenit provisio gubernatrix morum,  
Qualiter prospicere sibi non liceret,  
Ne malum contingere posset quod noceret?  
Quod postquam contigerit debent amovere,  
Subitum ne faciat incautos dolere.  
Sic quod non eveniat quicquam prædictorum,  
Quod pacis impediat vel bonorum morum

Formam, sed inveniatur zelus peritorum  
Quod magis expediat commodo multorum;  
Cur melioratio non admitteretur,  
Cui vitatio nulla commiscetur?  
Nam regis clementia regis et majestas  
Approbare studia debet, quæ molestas  
Leges ita temperant quod sunt mitiores,  
Et dum minus onerant Deo gratiores.  
Non enim oppressio plebis Deo placet,  
Immo miseratio qua plebs Deo vacet.  
Phara[ol] qui populum Dei sic afflixit,  
Quod vix ad oraculum Moysi quod dixit  
Poterant attendere, post est sic punitus,  
Israel dimittere cogitur invitus;  
Et qui comprehendere credidit dimissum,  
Mersus est dum currere putat per abyssum.  
Salomon conterere Israel nolebat,  
Nec ullum de genere servire cogebat;  
Quia Dei populum scivit quem regebat,  
Et Dei signaculum lædere timebat;  
Et plusquam iudicium laudat misereri,  
Et plusquam supplicium pacem patri[sl] veri.  
Cum constat baronibus hæc cuncta licere,  
Restat rationibus regis respondere.  
Amotis custodibus vult rex liber esse,  
Subdique minoribus non vult sed præesse;  
Imperare subditis et non imperari;  
Sibi nec præpositis vult humiliari.  
Non enim præpositi regi præponuntur;  
Immo magis incliti qui jus supponuntur.  
Unius rex aliter unicus non esset,  
Sed regnarent pariter quibus rex subesset.  
Et hoc inconueniens quod tantum videtur,  
Sit Deus subueniens, facile solvetur.  
Deum namque credimus velle veritatem,  
Per quem sic dissolvimus hanc dubietatem.

Unus solus dicitur et est rex revera,  
Per quem mundus regitur majestate mera;  
Non egens auxilio quo possit regnare,  
Sed neque consilio qui nequit errare.  
Ergo potens omnia sciensque præcedit  
Infinita gloria omnes quibus dedit  
Sub se suos regere quasique regnare,  
Qui possunt deficere, possunt et errare,  
Et qui suis viribus nequeunt præstare,  
Suisque virtutibus hostes expugnare,  
Neque sensu proprio regna gubernare,  
Sed erroris invio male deviare.  
Indigent auxilio sibi suffragante,  
Necnon et consilio se rectificante.  
Dicit rex: "Consentio tuæ rationi;  
Sed horum electio subsit optioni  
Meæ; quos voluero michi sociabo,  
Quorum patrocínio cuncta gubernabo;  
Et si mei fuerint insufficientes,  
Sensum non habuerint, aut non sint potentes,  
Aut si sint malevoli, et non sint fideles,  
Sed sint forte subdoli, volo quod reveles  
Cur ad certas debeam personas arctari,  
A quibus prævaleam melius juvari?"  
Cujus rei ratio cito declaratur,  
Si quæ sit arctatio regis attendatur;  
Non omnis arctatio privat libertatem,  
Nec omnis districtio tollit potestatem.  
Potestatem liberam volunt principantes,  
Servitutem miseram nolunt dominantes.  
Ad quid vult libera lex reges arctari?  
Ne possint adultera lege maculari.  
Et hæc coarctatio non est servitutis,  
Sed est ampliatio regiæ virtutis.  
Sic servatur parvulus regis ne lædatur;  
Non fit tamen servulus quando sic arctatur.

Sed et sic angelici spiritus arctantur.  
Qui quod apostatici non sint confirmantur.  
Nam quod Auctor omnium non potest errare,  
Omnium principium non potest peccare,  
Non est inpotentia, sed summa potestas,  
Magna Dei gloria magnaque majestas.  
Sic qui potest cadere, si custodiatur  
Ne cadat, quod libere vivat, adjuvatur  
A tali custodia, nec est servitutis  
Talis sustinentia, sed tutrix virtutis.  
Ergo regi libeat omne quod est bonum,  
Sed malum non audeat; hoc est Dei donum.  
Qui regem custodiunt ne peccet temptatus,  
Ipsi regi serviunt, quibus esse gratus  
Sit, quod ipsum liberant ne sit servus factus,  
Quod ipsum non superant a quibus est tractus.  
Sed quis vere fuerit rex, est liber vere  
Si se recte rexerit regnumque; licere  
Sibi sciat omnia quæ regno regendo  
Sunt convenientia, sed non destruendo.  
Aliud est regere quod incumbit regi;  
Aliud destruere resistendo legi.  
A ligando dicitur lex, quæ libertatis  
Tam perfecte legitur qua servitur gratis.  
Omnis rex intelligat quod est servus Dei:  
Illud tantum diligat quod est placens ei;  
Et illius gloriam quærat in regendo,  
Non suam superbiam pares contempnendo.  
Rex qui regnum subditum sibi vult parere,  
Reddat Deo debitum alioquin vere;  
Sciat quod obsequium sibi non debetur,  
Qui negat servitium quo Deo tenetur.  
Rursum sciat populum non suum sed Dei,  
Et ut adminiculum suum prosit ei:  
Et qui parvo tempore populo præfertur,  
Cito clausus marmore terræ subinfertur.

In illos se faciat ut unum ex illis;  
Saltantem respiciat David cum ancillis.  
Regi David similis utinam succedat,  
Vir prudens et humilis qui suos non lædat;  
Certe qui non læderet populum subjectum,  
Sed illis impenderet amoris affectum,  
Et ipsius quæreret salutis profectum,  
Ipsium non permetteret plebs pati defectum.  
Durum est diligere se non diligentem;  
Durum non despiciere se despicientem;  
Durum non resistere se destituenti;  
Convenit applaudere se suscipienti.  
Principis conterere non est, sed tueri;  
Principis obprimere non est, sed mereri  
Multis beneficiis suorum favorem,  
Sicut Christus gratiis omnium amorem.  
Si princeps amaverit, debet reamari;  
Si recte regnaverit, debet honorari;  
Si princeps erraverit, debet revocari  
Ab hiis quos gravaverit injuste negari,  
Nisi velit corrigi; si vult emendari,  
Debet ab hiis erigi simul et juvari.  
Istam princeps teneat regulam regnandi,  
Ut opus non habeat non suos vocandi:  
Qui confundunt subditos principes ignari,  
Sentient indomitos sic nolle domari.  
Si princeps putaverit universitate  
Quod solus habuerit plus de veritate,  
Et plus de scientia, plus cognitionis,  
Plus abundet gratia, plusque Dei donis:  
Si non sit præsumptio, immo sit revera,  
Sua tunc instructio suorum sincera  
Subditorum lumine corda perlustrabit;  
Et cum moderamine suos informabit.  
Moysen proponimus, David, Samuelem,  
Quorum quemque novimus principem fidelem;

Qui a suis subditis multa pertulerunt,  
Nec tamen pro meritis illos abjecerunt,  
Nec illis extraneos superposuerunt,  
Sed rexerunt per eos qui sui fuerunt.  
“Ego te præficiam populo majori,  
Et hunc interficiam;” dicit Deus.—“Mori  
Malo, quam hic pereat populus,” benignus  
Moyses respondeat, principatu dignus.  
Sicque princeps sapiens nunquam reprobabit  
Suos, sed insipiens regnum conturbabit.  
Unde si rex sapiat minus quam deberet;  
Quid regno conveniat regendo? num quæret  
Suo sensu proprio quibus fulciatur,  
Quibus diminutio sua suppleatur?  
Si solus elegerit, facile fallatur,  
Utilis qui fuerit a quo nescietur.  
Igitur communitas regni consulatur;  
Et quid universitas sentiat, sciatur,  
Cui leges propriæ maxime sunt notæ.  
Nec cuncti provinciæ sic sunt idiotæ,  
Quin sciant plus cæteris regni sui mores,  
Quos relinquunt posteris hii qui sunt priores.  
Qui reguntur legibus magis ipsas sciunt;  
Quorum sunt in usibus plus periti fiunt;  
Et quia res agitur sua, plus curabunt,  
Et quo pax acquiritur sibi procurabunt.  
Pauca scire poterunt qui non sunt experti;  
Parum regno proderunt, nisi qui sunt certi.  
Ex hiis potest colligi quod communitatem  
Tangit quales eligi ad utilitatem  
Regni recte debeant; qui velint et sciant  
Et prodesse valeant, tales regis fiant  
Et consilarii et coadjutores;  
Quibus noti varii patriæ sunt mores;  
Qui se lædi sentiunt, si regnum lædatur;  
Regnumque custodiunt, ne, si noceatur

Toti, partes doleant simul patientes;  
Gaudenti congaudeant, si sint diligentes.  
Nobile iudicium regis Salomonis  
Ponamus in medium; quæ divisionis  
Parvuli non horruit inhumanitatem,  
Quia non condoluit atque pietatem  
Maternam non habuit, quod mater non erat  
Teste rege docuit; ergo tales quærat  
Princeps, qui condoleant universitati,  
Qui materne timeant regnum dura pati.  
Sed si quem non moveat ruina multorum;  
Si solus optineat quæ vult placitorum;  
Multorum regimini non est coaptatus,  
Suo cum sit omnium soli totus datus.  
Communis conveniens est communitati;  
Sed vir incompatiens cordis indurati  
Non curat si veniant multis casus duri;  
Casibus non obviant tales modo muri.  
Igitur eligere si rex per se nescit  
Qui sibi consulere sciant, hinc patescit  
Quid tunc debet fieri. Nam communitatis  
Est ne fiant miseri duces dignitatis  
Regiæ, sed optimi et electi viri,  
Atque probatissimi qui possint inquiri.  
Nam cum gubernatio regni sit cunctorum  
Salus vel perditio, multum refert quorum  
Sit regni custodia; sicut est in navi;  
Confunduntur omnia si præsent ignavi;  
Si quis transfretantium positus in navi  
Ad se pertinentium abutatur clavi,  
Non refert si prospere navis gubernetur.  
Sic qui regnum regere debent, cura detur  
Si de regno quispiam non recte se regit;  
Viam vadit inviam quam forsitan elegit.  
Optime res agitur universitatis,  
Si regnum dirigitur via veritatis.



Et tamen si subditi sua dissipare  
Studeant, præpositi possunt refrenare  
Suorum stultitiam et temeritatem,  
Ne per insolentiam vel fatuitatem  
Stultorum potentia regni subnervetur,  
Hostibus audacia contra regnum detur.  
Nam quocumque corporis membro violato,  
Fit minoris roboris corpus. Ita dato  
Quod vel viri liceat propriis abuti,  
Quamvis regno noceat; plures mox secuti  
Et libertatem noxiam, sic multiplicabunt  
Erroris insaniam, quod totum dampnabunt.  
Nec libertas proprie debet nominari,  
Quæ permittit inscie stultos dominari;  
Sed libertas finibus juris limitetur,  
Spretisque limitibus error reputetur.  
Alioquin liberum dices furiosum,  
Quamvis omne prosperum illi sit exosum.  
Ergo regis ratio de suis subjectis,  
Suomet arbitrio quorum volunt vectis,  
Per hoc satis solvitur, satis infirmatur;  
Dum quivis qui subditur majore domatur.  
Quia nulli hominum dicemus licere  
Quicquid vult, sed dominum quemlibet habere  
Qui errantem corrigit, beneficientem  
Adjuvat, et erigit quandoque cadentem.  
Præmio præferimus universitatem;  
Legem quoque dicimus regis dignitatem  
Regere; nam credimus esse legem lucem,  
Sine qua concludimus deviare ducem.  
Lex qua mundus regitur atque regna mundi  
Ignea describitur; quod sensus profundi  
Continet mysterium, lucet, urit, calet;  
Lucens vetat devium, contra frigus valet,  
Purgat et incinerat quædam, dura mollit,  
Et quod crudum fuerat ignis coquit, tollit

Torporem, et alia multa facit bona.  
Sancta lex similia p'rat (?) regi dona.  
Istam sapientiam Salomon petivit;  
Ejus amicitiam tota vi quæsit.860  
Si rex hac caruerit lege, deviabit;  
Si hanc non tenuerit, turpiter errabit;  
Istius præsentia recte dat regnare,  
Et ejus absentia regnum perturbare.  
Ista lex sic loquitur, "per me regnant reges;  
Per me jus ostenditur hiis qui condunt leges."  
Istam legem stabilem nullus rex mutabit;  
Sed se variabilem per istam firmabit.  
Si conformis fuerit huic legi, stabit;  
Et si disconvenerit isti, vacillabit.  
Dicitur vulgariter, "ut rex vult, lex vadit."  
Veritas vult aliter, nam lex stat, rex cadit.  
Veritas et caritas zelusque salutis  
Legis est integritas, regimen virtutis;  
Veritas, lux, caritas, calor, urit zelus;  
Hæc legis varietas tollit omne scelus.  
Quicquid rex statuerit, consonum sit istis;  
Nam si secus fecerit, plebs reddetur tristis;  
Confundetur populus, si vel veritate  
Caret regis oculus, sive caritate  
Principis cor careat, vel severitate  
Zelum non adimpleat semper moderate.  
Hiis tribus suppositis, quicquid placet regi  
Fiat; sed oppositis, rex resistit legi.  
Sed recalcitratio stimulo non nocet;  
Pauli sic instructio de cœlo nos docet.  
Sic exhæredatio nulla fiet regi,  
Si fiat provisio concors justæ legi.  
Nam dissimulatio legem non mutabit,  
Cujus firma ratio sine fine stabit.  
Unde si quid utile diu est dilatatum,  
Irreprehensibile sit sero perlatum.

Et rex nihil proprium præferat communi;  
Quia salus omnium sibi cessit uni.  
Non enim præponitur sibimet victurus;  
Sed ut hic qui subditur populus securus.  
Reges esse noveris nomen relativum;  
Nomen quoque sciveris esse protectivum;  
Unde sibi vivere soli non licebat,  
Qui multos protegere vivendo debebat.  
Qui vult sibi vivere, non debet præesse,  
Sed seorsum degere, et ut solus esse.  
Principis est gloria plurimos salvare;  
Cum sua molestia multos relevare.  
Non alleget igitur suimet profectum,  
Sed in quibus creditur subditis prospectum.  
Si regnum salvaverit, quod est regis fecit;  
Quicquid secus egerit in ipso defecit.  
Vera regis ratio ex hiis satis patet;  
Quod vacantem proprio status regis latet.  
Namque vera caritas est proprietati  
Quasi contrarietas, et communitati  
Foedus insolubile, conflans velut ignis  
Omne quod est habile, sicut fit in lignis  
Quæ dant igni crescere patiens activo,  
Subtracta decrescere modo recitativo.  
Ergo si fervuerit princeps caritate,  
Quantumcumque poterit de communitate,  
Si sollicitabitur quod recte regatur,  
Et nunquam lætabitur si destituatur,  
Unde si dilexerit rex regni magnates,  
Quamvis solus sciverit, quasi magnus vates,  
Quicquid opus fuerit ad regnum regendum,  
Quicquid se decuerit, quicquid faciendum,  
Quod sane decreverit illis non celabit,  
Præter quos non poterit id quod ordinabit  
Ad effectum ducere; igitur tractabit  
Cum suis, quæ facere per se [non] putabit.

Cur sua consilia non communicabit,  
A quibus auxilia supplex postulabit?  
Quicquid suos allicit ad benignitatem,  
Et amicos efficit, fovet unitatem,  
Regiam prudentiam decet indicare  
Hiis qui suam gloriam possunt augmentare.  
Dominus discipulis cuncta patefecit,  
Dividens a servulis quos amicos fecit;  
Atque quasi nescius a suis quæsivit  
Quid sentirent sæpius, quod profecte scivit.  
O! si Dei quærerent principes honorem,  
Regna recte regerent, et præter errorem.  
Si Dei notitiam principes haberent,  
Omnibus justitiam suam exhiberent.  
Ignorantes dominum, velut excæcati,  
Quærun't laudes hominum, vanis delectati.  
Qui se nescit regere, multos male reget;  
Si quis vult inspicere Psalmos, idem leget.  
Joseph ut se debuit principes docere,  
Propter quod rex voluit ipsum præminere.  
Et in innocentia cordis sui David,  
Et intelligentia, Israelem pavit.  
Ex prædictis omnibus poterit liquere,  
Quod regem magnatibus incumbit videre  
Quæ regni convenient gubernationi,  
Et pacis expediant conservationi;  
Et quod rex indigenas sibi laterales  
Habeat, non advenas, neque speciales,  
Vel consiliarios vel regni majores,  
Qui supplantant alios atque bonos mores.  
Nam talis discordia paci novercatur,  
Et inducit prælia, dolos machinatur.  
Nam sicut invidia diaboli mortem  
Induxit, sic odia separat cohortem.  
Incolas in ordine suo rex tenebit,  
Et hoc moderamine regnando gaudebit.

Si vero studuerit suos degradare,  
Ordinem perverterit, frustra quæret quare  
Sibi non obtemperant ita perturbati;  
Immo si sic facerent essent insensati.

---

**Featured:** *Simon de Montfort, Sixth Earl of Leicester*; drawing of a stained glass window at Chartres Cathedral, ca. 1250.

---

